

Q.K. 411,1.

X 1877 AY

Pi  
307

עמ"י עשו :

הפתוחות והסתומות :

SIVE

*De*

# SECTIONIBUS,

In quas prisci Judæi Pentateu-

chum diviserunt,

## EXERCITATIO

*Quam*

benevolo indultu

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

## PRO LOCO

*in Eadem*

Majorum more rite obtinendo

publico examini submittit

M. JOHAN. GRAULSIUS

Thumâ Misnicus

RESPONDENTE

ANDREA RUPPIO

Geissenhena Thuring.

*ad d. Junij*

ANNO 1667.

BIBLIOTHECA

FESTECAVIANA

JENAE

Typis Joh. Jacobi Bauhoferi.



VIRIS

*Maxime Reverendis, Amplissimis atque Excellentissimis*

DN. SEBASTIANO GOTTFRIED  
Starcken /

DN. FRIDERICO HOLZMANNO,

SS. Theol. Doctoribus celeberrimis, illi Freibergensium,  
huic Chemnicensium Superattendentibus meritissimis, Dnn.

Patronis atque Promotoribus perpetuâ observantiâ  
sancte devenerandis.

VIRO

*item*

*Amplissimo, Praclarissimo atque Spectatissimo*

DN. CONSTANTINO CHRISTIANO

Dedefinden /

Poëtæ atque Musico famigeratisimo, Serenissimo Saxonie  
Electori à rationibus ærarii provincialis, Dn. Patro-  
no atque Fautori plurimum colendo.

*Dissertationem hanc*

D.D.D.


*animum plurimorum & maximorum beneficiorum  
memorem probaturus, iisq; studia sua porro demisse  
commendaturus*

M. JOH. CRAUSIUS, Fac. Phil.  
Adjunctus.



בעהנוא:

## SUMMARIUM



Entateuchi estimatio apud Judæos : Divisio in sectiones : Harum descriptio & distinctio in maiores & minores cum suis γνωσμασι. Majorum synonymum Sidra ; Earund. numerus , antiquitas & conjunctio cum Haphtar. Mino rum confusio : subdistinctio in apertas & clausas. Varia denominandiratio. Notæ characteristicae.

Numerus : Antiquitas. Decalogi divisio in ejusmodi sectiones. Maimonides hanc in rem adductus , & Biblia Amstelodamensis juxta cum suis encomiis .

§. 1. Quamvis Judæi ad Canonem V. Testamenti non Pentateuchum duntaxat Mosaicum ; sed עשרים וארבעה XXIV. seu , juxta alios , XXII. libros referant : Præ reliquis tamen Mosaiicos magnificiunt ( Vid. Excell. Dn. Frischmuthii Præceptoris & Patroni mei jugi observantiâ devenrandi disputatio de divisione scripturæ in legem ann. 1665. habita ) quos & quotannis in Synagogis suis perlegunt ( exceptis Judæis Syris , qui tertio demum quolibet anno juxta Benjaminem Tudelensem in מסעות Itinerario legem absolvunt ) & sollicitè in sectiones distinxerunt .

A 2

§. 2.

פְּרָשָׁה 2. Sectio ejusmodi vocatur פְּרָשָׂה vel  
(à quod juxta El. Lev. habet significatum הַבְּרִלָה פְּרָשָׁה disjungendi & separandi) quasi separata & di-  
stincta pars, quæ separatum ab antecedente sectione exhibet  
argumentum. Pluraliter dicuntur פְּרָשִׁיות ac si esset à  
singulari פְּרָשִׁית. Latinis etiam Parschiot vel Parschæ no-  
minantur.

§. 3. Sunt autem Parschæ certæ pericopæ seu partes, in quas Pentateuchus Ebraicus distinctus est, literis פ סתומה & פתוחה aut ס vel integris dictionibus פרשה it. in textu notari solitæ.

§. 4. Sunt illæ duorum generum: Aliæ **majores**, prolixiores neni pe legis pericopæ & lectiones sabbathicæ, quæ denominantur vel absolute à prima voce, vel à prima voce maximum è emphatica. In scribuntur nomina earum supremæ oræ Pentateuchi Ebraici, easque capitum loco allegant Judæi v.g. בְּרִאָשֵׁית in *Parsha Bereschitb.* i.e. prima sectione Genesios. Aliæ **minores**, breviores nimirum legis pericopæ. Vocantur minores quod pleræq;, vix unâ aut alterâ exceptâ, breviores sint majoribus, & pauciores versus vel voces contineant, denominatione à potiori desumptâ. Vid. infra. §. 9. Majores triplici פְּפָפָ פְּסָס Minores simplici סְסָס vel ס signantur, de quarum notarum significatione sæpe se interrogatum esse Laur. Fabricius in præfat. Partit. Cod. Ebr. testatur.

§. 5. Major se<sup>t</sup>io vocatur quoque ab solut<sup>e</sup> Parscha.  
it. סדרא vel *ordo, ordinaria lectio*. Singulis enim sabbata-  
this talis modi se<sup>t</sup>io à Judæis ordinariè legitur, unde quoli-  
bet anno tota lex absolvitur (Judæi autem Syri quamlibet se-  
ctionem in tres partes dividunt, & singulis annis singulas par-  
tes legunt, unde per triennium demum lectionem ab sol-  
vunt) Quia verò annus hebdomadas faltēm & sabbatha LII.  
Lex autem Parschas LIV. continet, inde semel atque iterum  
duas sectiones conjungunt, & ita vertente anno universi Pen-  
tateuchi

tateuchi lectioni finem imponere queunt. Cæterum vox Sidræ aliam quoque distinctionem notat , quâ scilicet Pentateuchus (juxta cum universo V. Testamento ) dividitur in certa tmemata , Parschis minora , & capitibus (in quæ Christiani legem divisorunt) propemodum respondentia , paulò tamen majora, quæ quidem in Codd. vulgaribus nullo charactere notantur ; In fine tamen cujusque libri numerus eorum exprimitur, atque ita Genesis continet sidras סב 43. Exod. כט 29. Levit. כג 23. Num. לב 32. Devter. כז 27. prout recensentur in nuperis Bibl. Amstelod. Nam in Basileensibus à Frobenio operâ Münsteri ann. 1536. in Genesib[us] ann. 1618. editis, it. in Fabricii Partit. Cod. Ebr. sidræ quorundam librorum desiderantur.

§. 6. Numerus Parscharum hic est : Genesis habet Parschas XII. Exod. XI. Lev. X. Num. X. Devt. XI. In universum igitur sunt LIV. Et Levita in תשבי voc. פرشה p. 185. edit Fagii, legi saltem LIII. Parschas assignat , his verbis : קראו לכל חלק מנג שחלוקת בחן חמשה חומשי תורה פرشה partibus , in quas lex divisa est, Parscham ; Quâ ratione duas in unam conjungit. Cùm verò ultima Parscha Geneseos, quæ incipit c. 47,28. à verbis יייחוי יעקב secus ac aliæ Parschæ, unico saltem ס in Codd. vulgaribus , in nuperis autem Amstelod. nullo prorsus signo διαχείριται notetur, sed saltem spatio quodam in textu relicto ad marginem addatur : אין כאן פסקא כלל כי אם ריווח אות אחרין Non est hic hiatus aliquis universalis, sed spatium literæ unius : Probabile est, Eliam XI. Parschas saltem in Genesi numerasse, & XII. cum XI. conjunxisse. Cur verò Celeberr. Horlingerus in Thes. Philol. p. 217 Parscham XII. Geneseos etiam tribus ססס insigniri dicat, contra quam vulgo fieri amat, non liquet.

§. 7. A quonam autem distinctio Parscharum profecta sit, inter Autores non convenit. Quidam ipsi Mosi a-

ceptam ferunt, unde & Judæi מִשְׁנֵי לְמַשְׁחָת הַלְּבָבָת traditi-  
onem Mosis è monte Sinai vocant. Alii recentiorem faciunt,  
& Esræ adscribunt, quod placet Buxtorfio in Bibl. Rabb pag.  
283. & Job. Leusdenio in Philol. Ebr. diss. 4. p. 26. specie veri-  
tatis non caret, & maximè probabile estimatur. Imman. Tre-  
mellius in cap. 13. Act. Mosen lectiones istas primum instituisse,  
Efram autem, postquam in captivitate Babylonica tan-  
tum non oblivione sepultæ essent, in usum revocasse & ad-  
juncta Prophetarum lectione amplificasse contendit. Opti-  
mè Fabricius in Partit. cap. 8. p. 37. docet, ob defectum histo-  
riæ distinctè originem harum lectionum assignari non posse,  
vero tamen esse consentaneum, tempore Christi & Aposto-  
lorum eas jam tum obtinuisse. Et sanè cùm Act. 13, 15 men-  
tio fiat lectionis legis & Prophetarum, & Act. 15, 21. Moses  
in Synagogis per singula Sabbathæ legi dicatur, ad has ipsas  
parschas digitum intendi, verosimile est.

§. 8. Facere hīc non possum, quin referam ex El. Lev.  
Thibi in voce **פְּטַר** historiam ad hoc argumentum spectantē;  
מצאתי כתוב שאנטיווכס הרשע מלך יון גוז על ישראל  
שלא יקרא ב תורה ברבים מה עשו ישראל ל Koh  
פרשׁה אחרת מביאים שעננים רומנו לעניין מה  
שכתב בפרשׁה של השברת היה ועתה אף שבטלרין  
הגוזרין המנהג הוזר אינו כטלו וער היום קוריין  
אותן הפרשיות של נבאים אחר קריאת התורה  
ו נקרא **Hoc scilicet vult, ab**  
**Antiocho Epiphane Syrorum Rege Judæis quondam prohi-**  
**bitam esse lectionem parscharum: Ne verò illi penitus desti-**  
**tuerentur lectione Scripturæ, succenturiasse eos certas le-**  
**ctiones ex Prophetis, quas Haphtaras vocant, Parschis Mo-**  
**saicis sensu quadantenus respondentes: Defuncto demum**  
**Antiocho & lectiones Mosaicas restitutas, & Propheticas**

etiam adjunctas esse. Narrationem hanc suō equidem locō  
relinquo : Antiquissimus tamen mos apud Judæos invaluit,  
ut Parschæ ac Haphtaræ conjunctim singulis Sabbathis legantur,  
perinde ac apud Christianos certæ pericopæ Evangelicæ ac epistolicæ diebus dominicis publicè prælegi  
consueverunt. Tabella Parscharum & Haphtararum Bibliais vulgo subjungi solet.

§. 9. Sed nunc ad sectiones minores progrediendum  
est, quarum ratio sic satis intricata & obscura est, quippe ad  
quas potissimum spectat querimonia Ebræorum de עירוב פירושות confusionē sectionum, & de quibus ipsi Masorethæ  
dissentient. Vid. §. ult. Inventæ autem feruntur ad diversitatem materiarum designandum, ut statim constaret, quando  
novum aliquod argumentum occurreret. Et quidem pleræque Parschæ in has minores dividuntur : Est tamen una vel  
altera in Genesi prorsus indivisa, nempe Parscha מקץ Gen.  
41,1. Biblia Amstelod. & Bombergiana etiam Parscham  
ויצא Gen. 28,10. (quæ in aliis Codd. per ס subdistinguitur)  
non dividunt. Hic igitur sectio major & minor coincidunt.

§. 10. Subdividuntur minores hæ in פתוורת aperturas & סתומות clausas, vel סטוכורות conjunctas, denominazione desumptâ partim à sensu, partim à scriptione. Apertæ enim vocantur, quod apertū & novū contineant argumentū, à priori quâ sensum independens, & apertā etiam ante le postulent lineam. Conjunctæ dicuntur, quia novum quidem continent argumentum, quoad sensum tamen à priori quadantenus dependens & eidem conjunctum, & antecedenti sectioni etiam in eadem linea conjungi possunt. Clause pariter vocantur, quia sensum habent quodammodo clausum, ad quem percipiendum antecedens facit sectio, & medio lineæ quasi inclusæ sunt. Apertæ igitur sectiones semper scribuntur ab initio lineæ : Clause seu conjunctæ nunquam, sed subinde post illud. Hoc tamen saltim in MSS. aut accura-

tis.

tissimis exemplaribus impressis observatur; Vulgares enim Codd. nullo discrimine hæc agunt. Vid. Joh. Mercerus in Gen., 6. ubi primum וְ & in Gen. 3, 16. ubi primum, וְ occurrit.

§. II. Minus igitur, certè non æquæ probabiles sunt, quæ sequuntur, denominandi rationes, quando 1. R. Ascher sectionem *apertam* vocat, quòd incipiat & finiat in principio lineæ: *Clausam*, quod incipiat & finiat circa medium lineæ (referente Buxtorf. ex Schulchan Aruch part 2. Jore Dea sect. 275.) Id quippe facit sine suffragio populi. Quando 2. apud Fabric. l.c. quidam contendunt, respici ad qualitatem textus, ita ut Petucha notet textum apertum sive planum, nullius operosioris declarationis indigum, neq; mystici quid involventem; Sethuma contrà textum clausum atque obscurum, operosiori explicatione dignum, & mystici quid importantem: Nam neque hujus rei idoneum potest afferri fundamentum. Quando denique apud eund. Fabric. l.c. contenditur Petucha significare initium, ubi nova persona legere incipit (teste enim Buxtorf. Synag. Jud. cap. 16. p. 327. quælibet Parscha in septem lectiones dividitur, ad quas legendas septem peculiares viri evocantur) & Sethuma notare clausulam, ubi prior persona legere desinit. Cum enim quædam Parschæ planè non dividantur (Vid. §. 9.) aliæ saltim bipartitæ sint, ut Parscha Balak Num 22. 2. aliæ tripartitæ, ut Parscha כָּזִין Deut. 32, 1. Aliæ longè plures, quam septem וְ aut סְ habeant, nequit sanè per וְ aut וְ aditus & abitus lectorum designari, qui potius per integras voces marginales כֹּהֵן sacerdos sen primus וְ לֹוי vel שְׁנִי secundus &c. in Bibliis & Pentateuchi majoribus innuitur.

§. III. Cæterum in nomenclatura sectionum variat Joh. Leusdenius, quippe qui cùm in præfat. Bibl. Amstelod. tum in Philol. Ebr. l.c. sectiones Pentateuchi in genere trimembri divisione distinguit in maximas, majores, minimas. Per maximas intelligit Parschas sabbathicas: per majores

Pd.



Petuchoth , & per minimas Sethumoth . Ut ut verò res tandem eodem recidat, quia tamen Sethumot persæpe majores sunt, quam Petuchoth , neque etiam à Leusdenio sive ratio , sive autoritas pro isthac nomenclatura adducta sit, malim bimembri divisione alteriusque membra subdivisione & non minibus ☰ & ☲ juxta §. 4. & 10. uti, ita enim procedenti neque ratio , neque autoritas deest.

§. 13. Quod porro concernit γοργίσματα sectionum harum, apertæ per תְּ seu compendiariam scriptionem unicō ☰ aut quandoque juxta Mercer. l. c. integrâ voce Petucha : Clausæ autem unicō ☲ aut integrâ voce Sethuma notantur. Si verò parscha & Petuchā concurrent, tria adhibentur פְּפְפְּ & ita pleræque Parschæ incipiunt, Sin Parscha & Sethuma concurrunt, tria conspiciuntur סְסְסְ (excepta Parscha וַיְחִי §. 6.) & ita in Genesi incipiunt Parscha VII. Exod. Par. X. XI. Lev. Par. III. Num. Par. VII. Devt. Par. II. V. IV. in correctioribus exemplaribus In scribendis his sectionibus Judæi ad superstitionem usque curiosi sunt ; Ante Parscham spatum trium linearum circiter : Ante בְּתוֹחוֹתָן spatum plus minus novem literarum ; Ante סְטוֹמָה spatum trium literarum vacuum relinquunt, ut est apud Leusden. dissert. 34. Phil. Ebr. p. 349. Plura ex El. Lev. & Maimonide allata vid. apud Buxtorf. in Abbrev. p. 164.

§. 14. Numerus omnium sectionum minorum ex Maimonide & Bibl. Amstelod. hic est :

	Gen.	Ex.	Lev.	Num.	Devt.	
Apertæ	43.	69.	52.	92.	34.	Sum. 290.
Clausæ	48.	95.	46.	66.	124	379.
	—	—	—	—	—	—
	91.	164.	98.	158.	158.	669.

Ubi mirum videri queat, Genesin (quæ apud nos Christianos capitum numero Pentateuchi singulos libros superat)

B

omnium

omnium paucissimas complecti sectiones; quòd si *σοχασμῶ*  
locns est dixerim, ideo id fieri, quòd merè historica sit &  
argumenta magis cohærentia habeat, quām reliqui libri, ubi  
multa interseruntur præcepta non æquè connexa, ac proin-  
de plures sectiones obtinere poterant.

§. 15. Sed de origine distinctionis in ☉ & ☊ dicen-  
dum nunc venit, quæ propemodum æquè obscura est ac fon-  
tium Nili. Ab aliis, enim autor assignatur Moses, ab aliis  
Esra, ab aliis curiosi quidam scribæ legem curiosè exscribere  
volentes. Quanquam verò tempus quo hæc divisio cœpit, li-  
quido assignari aut difficulter aut planè non posfit; Id tamen  
extra dubitationis aleam positum est, non heri demum aut  
nudius tertius, sed à multis retrò seculis eam invaluisse. Refert  
enim Chr. Helvicus in Vindic. Loc. Script. V. T. p. 142. ☉ ☊  
tam antiqua esse, ut circa annum Chr. 200. iam pro vetustis habi-  
ta fuerint: Autorem siquidem libri Siphre (commentarius est in  
Numeros & Devteronomiū) super Num. XI, 35, 36. de his signis  
tanquam vetustis differere: Vixisse verò eum secundūm Ebræos  
Chronologos & Historicos circa ann. Chr. 200. Buxtorff. in Bibl.  
Rabb. autorem hujus libri docet esse R. Schimeonem ben  
Jochai, aut R. Ismaelem, discipulum R. Judæ Sancti, à quo  
commentarius hic ann. Chr. 220. circiter provenerit. Maso-  
rethas etiam τ&ς ☉ & ☊ mentionem facere, paulò post di-  
cetur. Sunt autem signa hæc in quibusdam editionibus, ut  
Münsteri, interlinearibus Ariæ Montani, Polyglottis Londi-  
nensisbus planè omissa, & refert Leusdenius, Iudæos etiam in  
aliquot codicibus ea omisisse: In compluribus tamen etiam-  
num retinentur, quamvis cum quadam varietate, dum alii  
plura, alii pauciora numerant.

§. 16. Sicut autem passim in universo Pentateucho;  
Ita speciatim in decalogo etiam ☉ & ☊ (quæ juxta Hely-  
cum I.c. semper aliquid distinguunt) conspiciuntur, ad quæ  
à Theologis quoque provocari solet. Quando enim Refor-  
mati Orthodoxi de divisione Decalogi movent contro-  
ver.

versiam, quam quidam corum nimium quantum exagerant,  
 alii verò fatentur, ita comparatam esse, ut *cuique sua indul-*  
*geri possit libertas, & saluum cuique suum debeat esse judicium,*  
*ob quam propterea cum dissentiente contentiose pugnandum non*  
*sit; verba sunt Hottingeri Thes. Phil. l. 2. cap. 3 sect. 3. b. 552.* In-  
 ter cætera utrinque Antiquitas Iudaica in subsidium vocatur,  
 cui tamen nec ipsi secum per omnia convenit. *Sunt enim ex*  
 ea, qui prooemium; *Ego sum dominus Deus tuus, pro primo*  
 præcepto agnoscent, ac proinde tā in prima tabula præceptū  
 de non habendis diis alienis & de non faciendis sculptilibus;  
 quā in secunda præcepta de non concupiscenda domo & de  
 non concupiscenda uxore proximi pro uno habent, quod fa-  
 cere Talmudicos & posteriores Rabbinos plerosq; it. Ibn Sina  
 in Pentateuch. Arab. MS. testis est Hottingerus. *Sunt alii, ut*  
 Josephus l. 3. Ant. c. 4., qui Reformati favent, & præcep-  
 tum de sculptilibus peculiare faciunt. *Sunt tandem non*  
 pauci, qui nobiscum faciunt, & præceptum de concipi-  
 scientia in duo distinguunt, ad quos provocant Lyranus in  
 c. 32. Exod. & Abulensis in c. 20 Exod. Spectant huc illi,  
 אחורי אמרו כי לאו דבורה תשיעי ודבר עשו ר' לאו  
 תחمر ביהת רעך דבורה תשיעי ודבר עשו ר' לאו  
 תחמר אשחת רעך וראייתם כי השם אמר בעמיהם  
 לאו תחמר כי תחמר הויא על שני רברום הוי  
 ווציה למשחה כמו גזלו וליאו תחמר השני הויא  
 בלב על כן הוצרך משה לפרש ר' לאו תרואה

Alii dicunt, Non concupisces domum proximitui, esse  
 præceptum nonum, decimum vero esse: Non concupisces uxorem  
 proximitui. Probatio eorum est, quod Deus bis dixerit: Non  
 concupisces: Concupiscentiam autem geminam esse, unam, que  
 transit in actum v.g. rapinam: alteram, quæ saltem est in corde,  
 atque idcirco Mosen oportuisse explicare per: ר' לאו תרואה:  
 Cum primis vero Autores Petuchoth & Sethumoth à nobis

stant. Quandoquidem enim illi neque Ex. 20, neque Deut.  
5. præceptum de sculptilibus à præcepto de non habendis diis  
alienis distinguunt per ♂ aut ♂; Inter reliqua autem præce-  
pta omnia, & sic inter præcepta de concupiscentia quoque  
eiusmodi distinctionis notam ponunt, vix ejus rei probabi-  
lior assignari potest caufa, quām quod illa primæ tabulæ præ-  
cepta pro uno, hæc in secunda pro distinctis habuerint. Non  
equidem me fugit, & quondam variâsse & hodieque integ-  
se dissentire exemplaria, quorum multa ♂ in Exodo omit-  
tunt inter præcepta de concupiscentia, cuius rei præ aliis  
locuples testis esse potest Maimonides in Jad Chasaka part.  
I. lib. 2. Alrabha cap. 8. Hilcoth sepher Tora, ubi ex institu-  
to de sectionibus minoribus ♂ & ♂ agit, & primùm quidem  
conqueritur de discrepantia exemplarium. Verba ejus sunt:

ראיתי שיבוש גרוֹלֶט בכל הספרים שרairoּת ברכרים  
אלז וקן בעלי הטערת שכותבן ומאתברין לחוריע  
חפטותות וחתומורת נחלקים בדברים אלז במלחקה  
הספרים סטומכין על יהבָּס : *Animaduerti confusionem ma-  
gnam in omnibus libris à me usis circa hoc negotium. Ipsi n. Mafo-  
rethæ, qui conscripserunt & congesserunt doctrinā de Petuchot &  
Sethumot, hāc in re dissentiunt, propter diversitatem exemplar-  
rium, quibus usi sunt. Deinde huic difficultati obstetricatū-  
tus omnes Petuchot & Sethumot per singulos Pentateuchi  
הספר היודע difficultati obstetricatū-  
libros recenset ex exemplari, quod vocat **במצריים** שׁהוֹבֵז כָּלְלַת ארבעה ועשרה ספרי' שהיתה  
בירושלים מכמה שנים להגיה ממנה הספרים ועלין  
היו הכל סומכין לפיו שהגיהו בן אשר ורקרק בו שנים  
*librum celebrem in Ægypto, complexum 24. libros, qui fuit Hierosolymis maleis annis ad li-  
bros ex eo corrigendos, & ei innixi sunt omnes, postquam eum  
emendauit Ben Ascher, atq[ue] in eo laboravit per multos annos,  
cumq[ue] sapientius correxit. Ita vero enumerat פ' & ס' Deuterono-**

אנכי לא תשא שפוד כבר לא תרצח וולנא:  
תנאף וולנא תגנוב וולנא תענהו ולא תחמר וולנא  
תתאוות אֶת הַדְבָרִים כֹלן סְתוּמָה וְהַז אֶחָד עֲשָׂר

Ego. Non assumes. Custodi. Honora. Non occides. Neque moe-  
chaberis. Neque furaberis. Neque loqueris. Neque concupisces  
Neque desiderabis. Verba hæc. Omnes sunt clausæ & quidem XI.  
וַיֹּדַבֵּר אֱלֹהִים אֶל מֹשֶׁה וּכְדֹר פְּתוּחָה כָּכָר לְאֵין  
אנכי לא תשא שלשתן סְתוּמָה זָכוֹר פְּתוּחָה כָּכָר לְאֵין  
תרצח לא תנאף לא תגנוב לא תענה לא תחמר כלן  
סְתוּמָה וְהַז שָׁשׁ Et locutus est Deus ad Mosen. Ego. Non  
assumes, sunt tres Sethumot. Memento Petucha. Honora. Non  
occides. Non moechaberis. Non furaberis. Non loqueris. Non con-  
cupisces, omnes sunt sethumot, & quidem sex. Ubi & Maimoni-  
des omittit. Facit tamen pro <sup>ט</sup> in Exodus, partim quod in  
Deuteronomio tanquam repetitione decalogi legatur, partim  
quod præstantissimi Codices id habeant. Testes produco Bi-  
blia à Judæis Amstelodami ann. 1661. Typis & Sumptibus Jose-  
phi Athiæ edita, & ut inscriptio habet, correcta & collata cum  
antiquissimis & accuratissimis exemplaribus MSS. & hactenus  
impressis: De quibus Theologi Reformati Academiæ Ultra-  
jectinæ Gisb. Voëtius, Andr. Essenijs & Matth. Nethenus  
in judicio suo testantur, istam editionem valde accuratam  
esse & plurimis aliis editionibus etiam Plantini in quarto, e-  
iusq; interlineari in folio meritò preferendam esse, atq; hoc nomi-  
ne lectoribus de meliori nota a se commendari. Et ipse Joh.  
Leusdenius Lingua sancta in Academia Ultrajectina Pro-  
fessor (qui alias in Phil. Ebr. diss. 4. p. 24. contra Lutheran-  
nos urget Eod. 20. in medio præcepti de concupiscentia  
neque & neque <sup>ט</sup> esse) in præfat. horum Bibliorum illa vo-  
cat admodum correcta, accurata, eaque omnibus Christianis  
commendata vult. testaturque, illa à curiosis Judæis secundum  
præstantissimas Embergianas, Plantinianas aliasque editiones



& secundū antiquissima exemplaria MSS. correcta esse: Specia-  
 lem verò Pentateuchum quater à principio usque ad finem iuxta  
 exemplaria MSS. in Iudeorum synagogis afferata collatum esse,  
 se etiam Pentateuchum cum tali volumine MS. Amstelodamensi  
 in quam plurimis locis contulisse, & re apse summam cum illo con-  
 venientiam expertum esse. Ex MSS. porrò duo (quibuscum u-  
 niversa Biblia collata sint) refert fuisse antiquissima, alterum  
 Amstelodamense 400. circiter annorum: Alterum Hambur-  
 gense, ante 900. circiter annos Toleti in Hispania descri-  
 ptum: Et de sectionibus maximis, majoribus, minimis pariter  
 testatur, eas accuratè secundū antiquum morem distin-  
 gui. **המנוחים** etiam s. correctores Iudæi in præfatione non  
 dubitant editionem istam cum omnib9, quot quot unquam  
 נאמן הספר הנרפס הוה בכל in mundo fuerunt, contēdere :  
 חכטוביים אשר בארץ המתה : Et postquam de Parschiot di-  
 xissent, de ס ו פ quoque testantur, ס ו פ  
 היה שומה על פתוחות אשר לא תסגרנה וחשען אשר  
 יהוה סגור לא יפתח : *quod correctores sedulò attenderint  
 ad Petuchot & sethumot, quo sibi constarent. In his igitur Bibliis  
 תò ס in Exodo manifestè legitur. Sed plura dicturum char-  
 ta destituit. Esto minus exquisitè dictis venia, & soli Deo glo-  
 rìa.*

## ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

### I.

**F**inis objectivus non coincidit cum fine cui, nec finis  
 formalis cum fine cuius.

### II.

Distinctio totius in integrale, essentialia & uni-  
 versale non est univoci in univocata.

### III. Syl-

### III.

Syllogismi imperfecti quandoque meliores sunt perfectis.

### IV.

Materia habet suum appetitum.

### V.

Mundum ab æterno non esse , certum est ; ne quidem esse potuisse , non æquè .

### VI.

Soteria bibere moraliter malum non est , frequenter tamen malum est.

### VII.

Moneta coriacea æquè est in moneta , ac aurea.

### VIII.

Divisores diversis numeris constantes reapse possunt esse iidem , eidemque dividendo conjuncti eundem producere quotientem.

### XI.

Phil. Cluverus quando l.3. Geogr. cap.17. scribit , in Misnico agro situm esse principatum Snebergensem ab arce Sneberg cognominatum , cique coniunctum esse comitatum Hennebergensem ; Videtur in mente habuisse principatum Coburgensem ; qui tamen in Misnico agro situs non est.

### X.



AK II. 300

X.

Autor Th. Hist. qui Ptolomæum Philometora  
Sextum Ægyptiorum ex Lagidarum genere Regem,  
ideo hoc nomine insignitum esse scribit, quod ma-  
trem suam Cleopatram duxerit in matrimonium;  
qui que Ptolomæi Evergetæ II. septimi ex eadem stir-  
pe Regis conjugem, & sororem Cleopatram cum  
Cleopatra Alexandri Balæ primum, dehinc Demetrii  
Nicanoris Regum Syriacorum conjugem, eandem fa-  
cit, neque cognominis rationem assecutus est, neque  
matres à filiabus satis distinxit,

XI.

Est, ubi Orator ἀνεύ προοιμίσ καὶ παθῶν dicere po-  
test; Nec tamen ideo doctrinæ de moribus &  
affectionibus ignarus esse debet.

F I N I S.



Von

h c


Q.K.411.1.



S  
E  
In

M.

T



**Kodak**

LICENSED PRODUCT

Black

## KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Centimetres									
Inches									

